

93. *Limitatur in ordinibus militaribus et Societate Jesu.* — Limitatur tamen conclusio in quibusdam ordinibus militaribus juxta Sanchez, lib. V. *Moral.* c. IV, n. 5, et alios: necnon in commendatariis monasteriorum, quæ capita sunt primates ordinum, utpote qui intra sex menses profiteri aut commendæ cedere debent. Concilium Trident., sess. 25. *de Regular.* cap. XXI. Societas quoque Jesu speciale habet, quod duos annos probationis ante professionem exigit.

94. *Annus novitiatus debet esse completus de momento in momentum.* — Queritur VI. Utrum annus novitiatus seu probationis debeat necessario esse completus de momento in momentum? Resp. Quamvis in hoc puncto graviter controvertant doctores affirmativa tamen non tantum securior, sed etiam communior, juriq; et rationi conformior, consequenter in praxi omnino tenenda, et sequenda est, videlicet, quod ad valorem professionis annus ita debeat esse completus, ut si unica tantum, vel media hora aut quadrans ejusdem deesset, tota professio foret nulla, consequenter in hac materia dies cœpta nullatenus habeatur pro completa. Fagnanus, in c. *Ad apostolicam*, 16, h. t. a. n. 9; Miranda, tom. I, q. 22, a. 3, concl. 2, dicens conclusionem esse certam; Sanchez, lib. II. *de Matrim.*, disp. 24, n. 22; Lessius, lib. II, cap. XII, n. 59; Azorius, *Institut. Moral.* lib. V, cap. XXVIII; Barbosa, in cit. locum concil. Trident. n. 2; Sannig, h. t. cap. IV, n. 5; Navarrus, Sylvester, et communis aliorum contra Pirhing, h. t. n. 37. citantem pro se Roderiquez, tom. III, quæst. 15, a. 4; Probatur conclusio imprimis ex Tridentino cit. sess. 25, cap. XV. ubi ad valorem professionis requiritur, ne « minori tempore quam per annum in probatione steterit. » ubi notanda verba, « ne minori tempore, » cui enim hora v. g. adhuc deest, revera « minori tempore » quam per annum in probatione esse dicitur: eo quod annus ibi desinat, ubi incipit, ut inquit Baldus, consil. 458, n. 4, in fine, et ea hora finiatur, qua incæpit, Bartol. in l. *Libellorum.* ff. *de Accus.* indeque Varro, lib. V. *de Ling. latin.* annum ab annulo dictum patet, quia in seipsum redit. Deinde notanda particula *per annum*; quia dictio *per* denotat perfectionem, et totale complementum temporis. Accedit jus commune (a quo concil. interpretationem passivam recipit) requirens ad valorem professionis integrum annum elap-

psum c. *Non solum de Regular.* in 6. ubi specialiter fratribus prædicatoribus, et minoribus districte prohibetur, « ne ante annum probationis elapsus, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus, quemquam ad professionem recipere præsumant. » Concordat c. *Constitutionem* 3, eod. in 6. atqui palam est, annum, cui adhuc hora v. g. deest, nondum esse elapsus, ergo.

95. *Dies cœpta quando habeatur pro completa?* — Confirmatur: quodocunque quantitas et protractio temporis inducit et continet favorem, tunc annus, vel dies, aut aliud tempus debet esse completum de momento in momentum, nec habetur annus, vel dies cœpta pro impleta, prout cum Glossa tenent communiter doctores etiam adversarii, arg. l. *Denique*, ff. *de Minor.* l. *In omnibus. de Action. et obligat.* Sicut e contra, quando protractio temporis inducit odium, dies cœpta habetur pro completa, arg. L. 6. et 7. ff. *de Usucapionibus.* l. *In Usucapione*, ff. *de Divers. et temporal. præscript.* juncta l. *Anniculus.* 134. ff. *de Verb. signif.* ibi: « Anniculus trecentesima sexagesima die incipiente sane exacto die; quia annum civiliter non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus: » atqui protractio temporis anni probationis usque ad ultimum momentum est favorabilis novitio, et religioni, ut ille hanc et hæc illum sufficienter probare, ac in tanto momento considerate agere, et quilibet de damno non amplius reparabili præcavere possit, ut aperte colligitur ex cit. c. *Ad apostolicam.* 16. h. t. ubi expresse dicitur, « quod tempus probationis sit indultum non solum in favorem conversi, sed etiam monasterii, ut et ille asperitates istius, et istud mores illius valeat experiri, quod utrumque diligenter est observandum, præsertim cum ab utroque de reliquo certa notitia non habeatur. » Concordat c. *Non solum. de Regular.* in 6. ubi dicitur, « quod annus probationis sit maxime in subsidium fragilitatis humanæ (consequenter in favorem) institutus: » ergo non contrahi sed protrahi debet usque ad ultimum momentum.

96. Confirmatur ulterius: quodocunque tempus statuitur, et incipere determinatur ab aliquo actu, computandum est de momento in momentum. Fagnanus, loc. cit., n. 35; Sanchez, disp. 24. *de Matrim.* n. 22, et communis aliorum, textu expresso L. 3. § *Minore.* ff. *de Minorib.* atqui hic statuitur

tempus ab assumpto habitu concil. Trident. cit. n. 92. ergo.

97. *Congregatio cardinalium circa annum totaliter completum.* — Facit etiam pro conclusione, eamque veluti certam reddit congregatio cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum, utpote qui semper censuerunt, annum probationis a concilio Tridentino requisitum, intelligi debere de momento in momentum, ut professio ante ultimum momentum facta sit nulla, prout videre est apud Barbosam in cit. textu concil. Trident. refert eam etiã Fagnanus ejusdem congregationis secretarius loc. cit. ad finem dicens quod hinc vice professiones anno probationis ad momentum nondum completo ad sacram congregationem delatæ, habitæ fuerint pro invalidis, quamvis ad vitandos varios in religionibus motus a publica declaratione abstinuerit.

98. *Professio, quæ fit finito anno, cui hora deest invalida est.* — Infertur proin invalidam esse professionem illius, qui 1700, 2 septembris hora nona antemeridiana habitum religionis assumeret, et sequenti anno 2 septembris hora septima vel octava professionem emitteret: quod notare habent superiores illoꝝ conventuum, ubi novitii habitum assumunt, et professionem emittunt. In praxi optimum, ac securissimum erit, si primis horis antemeridianis v. g. hora septima, vel octava novitios induant, et sequentibus temporis antemeridiani horis nona vel decima ad professionem admittant; agitur enim hic de valore rei, ad quem probabilis opinio doctorum veritati contraria nihil confert.

99. *Solvitur objectio et ostenditur, quod non sit necesse differre professionem in diem finito anno sequentem. Tempus modicum attendendum quando est de substantia.* — Objectiones adversariorum potissimum sunt primo, favorabile esse novitio, quod professio etiam ante annum omnino elapsus sit valida: tum quia « summa est ratio, quod facit pro religione, » l. *Sunt personæ.* ff. *de Religios. et sumpt. fun.*; tum quia statim a tempore professionis, capax, et particeps est plurimorum honorum spiritualium, privilegiorum, indulgentiarum, etc.

Secundo, quod annus a Tridentino, et jure communi præscriptus bene intelligi possit de anno civiliter, non mathematice, ac naturaliter sumpto, præsertim cum præcepta humana moraliter sint intelligenda,

in quo sensu perfectum dicitur, quod modicum distat a perfectione: quia de modico non est curandum, arg. l. *In rebus* § *Posunt.* ff. *Commodat.* ne levis omissio vitiet actum, L. 1. in fin. ff. *Commodati.*

Tertio, quod conclusio nostra, et fundamenta ejus nimium probent, videlicet, quod indutus hoc anno 2 septembris hora decima antemeridiana, non posset sequenti anno 2 septembris dicta hora emittere professionem, sed primum hora quarta vespertina, vel omnino in sequentem diem differre deberet; quia annus naturalis complete sumptus ultra dies 365 constat ferme sex horis, ex quibus quarto quolidet anno oritur annus bissextilis, quod tamen est contra communem praxin, et consuetudinem receptam.

100. Verum ad primam harum objectionum patet ex dictis n. 95. ad rationem illius primam respondetur cum Fagnano, loc. cit. n. 33. Concedendo, summam esse rationem, quæ facit pro religione, tempore debito a jure requisito, quo quis legitime fit, et est religiosus, non item tempore antecedenti, alias enim etiam duobus vel pluribus diebus ante annum completum professio emitti posset. Hinc pro tempore priori summa ratio et favor est, quæ facit pro libertate novitii et religionis, ut summe arduum negotium cum plenitudine temporis concessi mature considerari, et tractari valeat, arg. c. *Ad apostolicam.* 16. h. t. et c. *Non solum.* eod. in 6.

101. Ad secundam objectionem respondetur, modicum non nocere vel obesse, nisi sit de forma et essentia, uti in proposito, in quo tempus totaliter completum dignoscitur esse de substantia professionis ob appositum a concilio decretum irritans, hoc siquidem omne illud efficit substantiale, quod sub eo seu clausula irritante præscribitur, uti post Felinum, in c. *Cum dilecta. de Rescript.* n. 29. docet Navarrus, consil. 82, h. t. n. 3; Fagnanus, loc. cit. n. 22. et communis aliorum, arg. l. *Non dubium.* 5. et l. fin. c. *de Legib.* et c. *Cum dilecta, de Rescript.*

102. Ad tertiam respondet Fagnanus, loc. cit. n. 5. concedendo, ex conclusione nostra etiam id, quod objicitur, probari, negando autem id esse nimium, eo quod ob decretum irritans etiam ultimum momentum anni naturalis sit de substantia professionis per dicta n. præced. cui etiam favet can. *Puella.* 2, cau. 20. q. 2. ubi ad tacitam professio-

nem annus et dies requiritur; ibi « Si per annum et diem. » Ob quod in aliquibus religionibus et monasteriis professio non emittitur, nisi post annum et diem elapsam a tempore assumpti habitus, quod ipsum etiam in nostris statutis generalibus Barchinonensibus statutum habetur, prout refert Marchantius in *Expositione regulæ*, cap. n. q. 4. Verum aliter respondetur cum eodem Marchantio loc. cit. Miranda, loc. cit. et communissima aliorum, negando sequelam; quia dum concilium Tridentinum ad substantiam probationis requirit annum probationis integrum de momento in momentum, completam, non intelligit annum solarem seu naturalem, ultra dies trecentos sexaginta quinque, quinque horas, et quadraginta novem minutas, seu sex ferme horas continentem, sed annum civilem, quem etiam vulgarem, seu artificialem appellant, qui constat et absolvitur trecentis sexaginta quinque diebus: tum quia etiam in aliis regulariter annus ita accipitur: tum quia in puncto probationis eum ita accipit et intelligit praxis et consuetudo passim recepta, « quæ est optima legum interpretis, » L. 37. ff. de Legib. non obstante, quod pro majori cautela, quæ etiam « nimia non nocet, » in quibusdam locis quid particulare observetur. (ADNOTATIO IV.)

403. *Novitiatus annus debet esse continuus.* — Quæritur VII. Utrum annus novitiatus, seu probationis necessario debeat esse continuus, ac sine interruptione: Resp. I. Affirmative, Fagnanus, in c. *Insinuante, qui Clerici, vel voventes*; Miranda, tom. I. q. 22, a. 4; Abbas, in c. *Ad apostolicam*. 16, h. t. n. 9; Sylvester, §. *Religio*. 5. q. 4; Pirhing, h. t. n. 40, et communissima aliorum, imo teste Fagnano: omnes scribentes in cit. c. *Ad apostolicam*. h. t. arg. cit. concil. Trident., ubi professio illius dicitur irrita, qui non per annum steterit in probatione: generaliter enim, quando in jure certum aliquod tempus requiritur, intelligi debet de tempore continuo, nisi ex subjecta materia contrarium colligi possit: ut bene cum aliis notat Fagnanus, loc. cit.; Gutierrez, lib. I. qq. can. cap. XII, n. 24, eo quod regulariter omne tempus debeat esse continuum, Glossa in *Rubr. de Divers. et temporal. præscript.* circa finem, nec tempora interrupta jungantur, arg. I. *Ubi fidejussor.* ff. de *Solution.* Præsertim, quando in lege, uti in proposito requisito tempore apponitur præ-

positio per; utpote quæ ex natura sua continuationem temporis significat, prout cum communissima aliorum bene docet Barbosa, de *Dictionibus* §. Per. Menochius, de *Arbitr. jud.* casu. 462. n. 7; Gonzalez, ad Reg. 8, cancell. gloss. 9, in annotat., n. 89; Mascardus, de *Probation.*, concl. 1215, n. 2. Et juxta hanc conclusionem sæpius respondens congregatio cardinalium professiones post annum non continuam factas declaravit nullas, apud Fagnanum, loc. cit. n. 35.

404. Accedit ratio, quia propter intermissionem diversificantur mores et opera hominum, I. *Si non fortem.* §. *Libertus. de Condict. indebiti*; simulque certum est, longe gravius esse, rigorem et asperitates ordinis per annum totum continuum, quam per interpolatum experiri; sicut difficilius est per quadraginta dies continuos, quam interpolatos, seu interruptos jejunare, uti citati doctores communiter notant, indeque consequenter inferunt, novitium ad tempus discedentem, ac denuo redeantem, regulam et rigorem ejus perfecte non experiri.

405. *Si novitius per unicum diem vel horam interrumpit annum, debet de novo incipere.* — Nec refert, an longo tempore v. g. per aliquot menses, an modico v. g. per aliquot dies solummodo, aut horas absit et penitentia ductus statim iterum redeat Novitius, eo quod et talis novitius de novo probationem incipere, et per annum continuum continuare debeat, si valide profiteri velit, prout citata sacra congregatio cardinalium expresse declaravit in casu, quo novitius ex ordine nostro discessit, et duabus horis elapsis penitentia ductus statim iterum rediit, apud Fagnanum, in cit. c. *Insinuante, qui Clerici*. n. 36. Docentque in simili Navarrus, lib. I. consil. 32, h. t. n. 3; Sylvester, §. *Religio*. 5, q. 4; Sanchez, lib. V. *Moral.* cap. IV, n. 32, et alii, ob jura et rationes n. 103. allatas.

406. — Infertur proin, quod si novitius vel ex delicto, aut inhabilitate, ob morbum v. g. dimittatur, aut sponte discedat, de novo iterum annum probationis incipere debeat, etsi emendatus, aut sanitati restitutus, aut penitentia ductus brevi iterum redeat, et prius per decem, aut undecim menses, aut diutius (non tamen integro anno) jam fuisset in novitiatu.

407. *Si novitius de et sub obedientia superioris etiam diu moretur extra monasterium non interrumpitur novitiatus.* — Resp. II. Dictis

non obstantibus, si novitius de licentia sui prælati, et cum habitu intra annum probationis e monasterio exeat, et extra illud per aliquod tempus v. g. per duos, tres, quinque, vel etiam sex menses ex negotii, vel sanitatis, vel peregrinandi, vel visendi parentes, vel se recreandi causa etc. moretur, non idcirco interrumpitur annus, sed potest ex expleto novitius professionem emittere æque, ac si toto anno fuisset in monasterio, ita cum communi aliorum Miranda, tom. I. q. 22, a. 5; Fagnanus, loc. cit. n. 38; Tamburinus, de *Jure Abbat.*, tom. III, disp. 6, q. 7, n. 16; Navarrus, h. t. consil. 32, ubi affert pro conclusione declarationem cardinalium in casu, quo Novitius de licentia superioris ultra sex menses a monasterio absens, in quadam curia tractavit negotia monasterii; quam declarationem etiam refert Fagnanus, loc. cit. Ratio est, tum quia religiosus ubicunque de licentia, et sub obedientia superioris degit, in monasterio degere fictione juris censetur, ut post Abbatem in c. *Ex rescripto de Jurejur.* n. 5. recte notant Navarrus, et Fagnanus, loc. cit.; tum quia nullo jure cavetur, ut novitius toto probationis anno degat in monasterio, imo oppositum innuitur cit. c. *Insinuante, qui Clerici et voventes.* et c. *Sicut nobis.* 17. h. t.

408. *Neque si tempore novitiatus infirmetur.* — Illud tamen cum Navarro, loc. cit. et Fagnano, loc. cit. 4. notandum, quod etsi novitius post susceptum habitum infirmetur, et per sex vel octo, vel decem menses in lecto decumbat, nihilominus elapso anno valide profiteri valeat, arg. cit. c. *Sicut nobis.* 17. h. t. et docent, teste Navarro, loc. cit. omnes doctores nisi forsitan novitius in furorem et amentiam incideret, in eoque diu v. g. per mensem, vel diutius remaneret; tunc enim licet novitiatus non de novo foret incipiendus, nihilominus illud spatium temporis esset supplendum, et juxta quantitatem illius novitiatus extendendus, uti docet Sanchez, lib. V. *Moral.*, cap. IV, n. 54 et 55; Pirhing, h. t. n. 47. Ratio est, quia licet in tali casu annus probationis proprie non interrumpatur, cum, ut supponitur, talis manserit in religione; tamen interea saltem suspenderetur, et quasi dormiret, prout in simili præscripto dormire dicitur, I. *Sicut C. de Præscript. triginta annor.* Quod si tamen furor aut amentia non diu, v. g. non ultra octo vel decem dies duraret, prout contingit in phrenesi ordinaria, item in calidis

et malignis febribus, penitus nec attendetur, possetque eo non obstante professio anno elapso valide emitti, uti docent doctores citati, probatque praxis et consuetudo recepta, quæ est optima legum interpretis. L. 37. ff. de Legib.

Circa materiam novitiorum attendendæ etiam constitutiones et decreta Clementis VIII. saluberrima, quarum prima incipit *In Suprema Ecclesia* ordine 73. in Bull. Cherub. cui statim apponuntur aliæ videlicet. 2. *Regularis disciplinae.* 3. *Cum jamdudum.* 4. *Qui alias et præcipue.* 5. *Cum ad regularem.* Quas vide in dicta Bull. tom. III. (ADNOTATIO V.)

§ IV.

DE LIBERTATE, JURIBUS, PRIVILEGIIS, ET OBLIGATIONIBUS NOVITIORUM.

409. *Novitii pro libitu deserere possunt religionem.* — Quæritur I. Utrum novitii intra annum probationis pro libitu religionem deserere, et ad sæculum redire valeant? Item an egredientes teneantur ad expensas? Item quæ eis sint restituenda? Resp. I. Ad primam partem quæsitæ affirmative. Miranda, tom. I. q. 22, a. 8; Fagnanus, in c. *Consulti.* 20, et c. *Statuimus.* 23, h. t. et ibi Abbas, Pirhing, h. t. n. 62. cum communi ac certa aliorum, claris juribus cit. c. *Consulti* et c. *Statuimus.* h. t.; ibi: « Statuimus Novitios in probatione positos, ante professionem emissam, ad priorem statum redire posse libere, » id est, etiam non petita vel habita licentia superiorum, hoc enim dicto *libere* significat, arg. c. *Licet Episc. de Præbend.* in 6. et c. *De multa.* 28. de *Præbend.* cum concordantiis. Ratio ibidem habetur; « cum quilibet possit renunciare ei, quod pro se noscitur introductum.

410. *Etiam si permanere firmiter proposuerint.* Et quamvis in cit. c. *Statuimus.* h. t. ponatur sequens limitatio, « nisi evidenter appareat, quod tales absolute voluerint vitam mutare, et in religione perpetuo Domino servire, » quod idem dicitur c. *Consulti.* eod. indeque ibidem statuitur, quod ejusmodi ad aliquam, saltem laxiorem religionem ire teneantur; quod doctoribus copiosam materiam disputandi præbuit. Nihilominus conclusio hodierno jure absolute venit intelligenda, quia jure novo concilii Tridentini, sess. 25. de *Regular.* cap. xv, expresse statutum habetur, quod etiam pro-